

- diiunxit illum ab illa, postquam et ipse se  
 et illam et hanc quae domi erat cognovit satis,  
 ad ěxemplum ambarum mores ěarum existimans.  
 haec, ita uti liberali esse ingenio decet,  
 90 pudens modesta incommoda atque iniurias 165  
 viri omnis ferre et tegere contumelias.  
 hic animu' partim uxori' misericordia  
 devinctu', partim victus hui(u)s iniuriis  
 paullatim elapsust Bacchidi atque huc transtulit  
 95 amorem, postquam par ingenium nactus est. 170  
 interea in Imbro moritur cognatus senex  
 horunc : ea ad hos redibat lege hereditas.  
 eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.  
 reliquit cum matre hic uxorem ; nam senex  
 100 rus abdidit se, huc raro in urbem com meat. 175  
*PH.* quid adhuc habent infirmitatis nuptiae ?  
*PA.* nunc audies. primo dies complusculos  
 bene convenibat sane inter eas. interim  
 miris modis odisse coepit Sostratam :  
 105 neque lites ullae inter eas, postulatio 180  
 numquam. *PH.* quid igitur ? *PA.* siquando ad eam ac-  
 cesserat  
 confabulatum, fugere e conspectu ilico,  
 videre nolle : denique ubi non quit pati,  
 simulat se ad matrem accersi ad rem divinam, abit.  
 110 ubi illic diēs est compluris, accersi iubet : 185